

\*

# VOTA

## ET MOTIVA DIFFINI-

## TIVÆ SENTENTIÆ A PROCESSV

Dominici Palacios, super Apprehensione in articulo  
proprietatis in Regia Audientia vertenti.

**N**DEI NOMINE. Amen. Nouerint vniuersi, quod anno computato à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, millesimo sexcentesimo trigesimo tertio. Apud Civitatem Cesaraugustæ Regni Aragonum, & in Camara Regij Consilij causarum ciui-  
lium dicti Regni, interuenerunt Magnifici Domini Anto-  
nius Augustinus de Mendoza Regens Cancellariam, Pe-  
trus Taraçona, Iosephus Segura, & Ioannes Franciscus Iu-  
bero, Regij Consiliarij, corā quibus fuit positus Processus  
cisterñus Dominici Palacios, super apprehensione in articu-  
lo proprietatis: In quo dictus Magnificus Dñs Ioannes  
Franciscus Iubero Relator extraordinarius, ac etiam cæteri  
Dñi de Regio Consilio, & dictus Dñs Regens concordes,  
quod tenetur & debet pronuntiare & absoluere, Iuratos,  
Concilium, & Vniuersitatem loci de Yesaro conuentos,  
princ. Dominici Adrian, & Petri Gascon Procuratorum, à  
contentis in petitione ciuili contra eos in presenti processu  
oblata silentium perpetuum Don Mathiæ Abarca agenti  
princ. Hieronimi Gartia de Arista, & Didaci Antonij An-  
tin Procuratorum imponendo, neutram partium in expen-  
sis condemnando, cætera supplicata locum nō habere. EX  
EO, & aliás, absoluuntur conuenti a contentis in petitione  
contra eos oblata, quia constat res, & iura ab actore petita  
super quibus intentiam obtinuerunt in processu litispen-

dentiæ, cuius præsens est cisternus, ad eos legitimè pertinere ob id quæ ad illorū restitutionem, minimè teneri apparet enim dominium inferius, & subalternum terminorum loci de Yesaro, & sic portus vulgò dicti de Araguas, tamquam partis illorum, & intra illos consistentis ad dictos de Yesaro expectare dictosq. terminos, ut illorum dominos per tempus centum annorum, & amplius possedisse cum pascuis, lignis, aquis, & alijs iuribus contentis in articulis nono, decimo, undecimo, & decimo octauo cedula defensionis pro parte dicti loci de Yesaro oblatæ, vnde de legitima illorum præscriptione constare ambigi non potest, quia in eorum præscriptione respectu vniuersitatis nō est necessaria præscriptio immemorialis, sed alia minor sufficit, cū in hoc assistat eidem vniuersitati, ius commune, cui forus minime cōtradicit, neq; etiam dici potest resistere dicti vniuersitati de Yesaro, ius commune & forale, quo ad iura nominandi iuratos, & faciendi statuta, de quibus in articulis decimotercio, & decimoquinto eorundem defensionum, quia imo potius assistit, & sic longi temporis præscriptionem sufficere censemus, ne dum cētenariam quæ in casu nostro proculdubio adest ulterius, neq; respectu exercitij iurisdictionis ciuilis præscriptio immemorialis, in hoc casu requiritur, quia non agitur contra dominum nostrum Regem, sed contra dominum priuatum. Et quambis respectu absolutè potestatis, & aliarum iurium dominicallium, cæteris dominis temporalibus secularibus præsentis Regni, iuxta forum competentibus fundatam habeat Don Mathia Abarca actor, ut Dominus dicti loci suam intentiō nem, ad adeoq; regulariter ulteriori probatione non ageret, tamen pro parte dictorum de Yesaro legitimè probatum fuit, per dictum tempus centum annorum, & amplius liberos, & exemptos esse, & fuisse a prædicta absoluta potestate, cum aliquibus actibus positius, & varijs confessionibus eorundem dominorum afferentium non habere absolutam potestatem in conuentos, quas confessiones maximè momenti

3

menti esse ad prædictæ exemptionis probationem iudicamus, quod similiter locū habet circa probationem exemptionis, & libertatis soluendi alia iura dominicalia, nisi novemcentum solidos, & certam quantitatem tritici galinarum & lignorum, cum de illa pariter constet ex pluribus cōfessionibus, ab eisdē dominis de Yesaro, emisis, & ex pluribus testibus deponentibus pro dictis iuribus dominicilibus solitam fuisse præstari dominis dictam quantitatē pecuniæ, & aliorum rerum, de quibus in articulo doze dictarum defensionum tantum, & hoc per supradictum tempus centum annorum & amplius. Quam probationem, & si immemorialis nō esset perfectè probata (quod non cōcedimus) sufficere arbitramur. Nam respectu absolutæ potestatis constat in hoc Regno a dominis temporalibus fuisse, per usurpationem consuetudine adquisitam, vnde eius præscriptio cū per illam fiat reductio ad ius commune, & forale facilius debet admitti, nec onerādus est præscribens præcise probatione immemoriali, saltem cum omnibus à iure requisitis, sed sufficere centenariam iudicamus, quamquam parem, aut maiorem inmemoriali non nulli iudicarunt quorum sententia, si in aliquo casu in hoc maximè admitti debet, in quo plura concurrunt, quod nempè nullus actus absolutæ potestatis in processu probatus existit, & conuenti sententiam favorabilem in articulo litispenditiae obtinuerunt, & adest fumus quod locus de Yesaro, fuit Ecclesiæ Sancti Sabini, ante quam in dominos Varoniae de Gabin peruenisset respectu verò iurium dominicalium, ex eo dictam probationem sufficere arbitramur, quia hic non agitur de absoluta illorū præscriptione, sed tantum, quod illa omnia sunt indussa in quātitate pecuniæ tritici, & aliarum rerum dominis solui solita. Neque his aduersatur sententia arbitralis pro parte actoris exhibita, quia de illa ratio haberi non potest, cum non sit in forma probanti notarius, enim qui illam extraxit a notulis sui prædecessoris nō attestatur habere aliquam comissionem, que omnino re-

quiritur, licet sit facilius & successor illius qui instrumentum recepit, ut sepè iudicatum fuit, tunc etiam, quia non constat dictam sententiā arbitralem fuisse executioni mandatam, imo contrarium coligitur ex confessionibus, ab ipsis dominis postea factis dicentibus, se non posse uti absoluta potestate in vasallos suos loci de Yesaro, maximè cum non fuerit intimata ipsis de Yesaro, sed solum corum procuratori, imo neq; in ea positivè, & principaliter dominis ad iudicata fuit absoluta potestas, sed solum obiter, & enuntiatiuè, neq; constat super ea littem, ad fuisse inter compromitentes, & sic de illa fuisse compromissum, & quā bis expressè per dictos de Yesaro, super ea fuisse compromissum valde dubitari poterat de dicti compromissi validitate cum agatur de praeiuditio iurisdictionis domini nostri Regis. Tolitur enim recursus ad eius tribunalia per adiunctionem absolutæ potestatis, maior difficultas videtur ver sari circa montem, siue Pardinam de Fañanas, nam cum sit mons, ut vulgo dicitur Rotundus, & partita distincta, & di uersa a terminis & limitationibus loci de Yesaro, & extra eius districtum ad hoc, ut ipsi de Yesaro, legitimè adquisisse dicantur iura pascendi, lignandi, culturandi, & alia ex præssata in articulo decimo septimo carundem defensio num necessaria & præcissa videbatur præscriptio immemo rialis, tam de foro, quam iuxta iuris communis dispositio nem, quæ in casu nostro deficit cum testes in suis depositionibus non asserant nunquam vidisse, vel audiuisse contrarium, quod in probatione immemorialis desiderari pa sim Doctores afirmant, ceterum huic difficultati ita occurri posse existimamus, quod satis expræsum videtur ab ipsis testibus hoc requisitum dum asserunt semper, & continuè ita vidisse fieri, & audiuisse a senioribus per dictum tempus immemoriale, absq; alicuius contradictione, quod ipsi scierint, quæ forma probandi immemorialem antiquitus solita fuit in hoc Regno obseruari, absq; præfacto requisito præsertim cum Rotte Tribunal, aliquando censuerit illud requi-

5

requisitum non esse necessarium in immemorialis proba-  
 tione, & innane videtur esse in casu presenti attenta con-  
 textura ipsarum depositionum, maximè cum obseruantiae  
 dispositio possessionē immemorialem solum requirat, sim-  
 pliciter non verò cum omnibus a iure requisitis quorum  
 requisitorum probatio multum ab arbitrio iudicantis pen-  
 det, vbi solum interuenit modicè solemnitatis omissio,  
 quod in hoc casu fortius procedere censemur, quo conuen-  
 ti Victoriam reportarunt super his iuribus in iuditio te-  
 nute, seu littispendentiæ, & fuerunt effecti rei, & possesso-  
 res, neque supradictis obstat prædictos de Yesaro iura su-  
 perius recitata tenuisse & possidisse in vim cuiusdam loca-  
 tionis, siue arrendamenti centum & viii anni concessi  
 per Lupum Abarca dominum de Yesaro, & Pardinæ de  
 Fañanas eiusdem de Yesaro, cum illorum acceptatione, ad  
 quod probandum exhibuit actor instrumentum quoddam  
 dicta locationi, sed respondetur ex visura in hoc processu  
 facta, & ex alijs ex eodem processu resultantibus clarè con-  
 stare, & apparere dictum assertum locationis instrumen-  
 tum falsum esse, & falso fabricatum, sicq; de eo nullam ha-  
 bendam esse rationem, & cum semper quilibet præsumat-  
 tur producere meliorē titulum quem habet præsumi non  
 potest ipsum actorem alium titulum validum, & efficacem  
 habere nec obest, quod non nulli testes de auditu attestan-  
 tur de dicto arrendamento, & quod in vim illius homines  
 de Yesaro possideūr̄ dicta iura, nam ultra quod dicti testes  
 patiuntur graues exceptiones ebrietatis paupertatis, &  
 alias vincuntur eorum dispositiones superiori probatio-  
 ne, quia maior numerus testium productorum pro parte  
 loci de Yesaro attestamur iure proprio dictis iuribus vñus-  
 fuisse, nec etiam refragatur instrumentum additionis fer-  
 tentiae Arbitralis, de quo in processu vbi enuntiatur præ-  
 dictum instrumentum locationis, & finito tempore illius  
 iubet arbiter partes compromitentes in suis iuribus redin-  
 tegrari quoniam preterquam, quod illud non fuit exhibi-

tum in publicatione, sed aliud diuersum de ipsius additionis validitate valde dubitamus, quia arbitrer non habuit facultatem ad plures additiones proferendas, sed solum ad simpliciter addendum suæ sententiæ, intra certum tempus quæ facultas prima vice consumpta fuit, cum igitur in dicta additione aserat arbitrer, se aliæ additiones protulisse illa, vt posterior nullius momenti esse videtur, tū etiam quia numquam fuit intimata, ne dum partibus verūm, nec eorum procuratoribus, ac deniq; quia cum constet clarè de falsitate predicti arrendamenti, que latere potuit Arbitrum non potest veritati nocere. Nec denique obstat denuntiatio facta per Ioannem Guillen successorem notularum Michaelis Guillem, quo dicitur testificatum dictum arrendamentum, quia cum sit facta absque legitimo iuramento, & nō in forma iudiciali parum prodesse potest precipue, cum & eius dictum sit in uero simile dum dixit, quod dominus reseruabat, sibi furnum, & molendinum, & tamen contrarium dicitur in dicta additione, & quatenus dixit, quod etiam sibi reseruabat iurisdictionem criminalem, quam quidem semper pertinuisse ad Iustitiam Villæ de Biescas, est in processu certissimum, & precipue cum thenor instrumenti in hoc Regno testibus probari non possit, aliæ vero falsitates, quæ in notis dicti Michaelis Guillem probantur cum conuenti eis non nitantur non offitiunt supradictis respectu vero aliorum iurium, super quibus non obtinuerunt sententiam conuenti, cum nō sint illorum possessores meritò absoluuntur, & aliæ atent. content. Sig<sup>+</sup>num mei Philippi Martinez Scriba mandati sue Maiestatis, ac Ciuis Ciuitatis Cæsaraugustæ, & in eadem domiciliato, authoritateq; Regia, per totam terram, & dominationem domini nostri Regis publici Notarij, qui huiusmodi vota, siue motiuua alibro Regij Consilij causarum ciuilium præsentis Regni Aragonum, manu aliena scriptum extraxi, & cum dicto originali libro, benè, & fideliter comprobari in quorum fidem meo solito signo signauit, constat de supra-positum, ybi legitur Varoniæ, &c.



